



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXVII. De lucro ex permutatione alienæ pecuniæ; atque ex alterius
nomine emptis censibus reportato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XXVII.

De lucro ex permutatione alienæ pecuniæ ; a que ex alterius nomine emptis censibus reportato.

IGnatus, cum bonis Parochialis Ecclesiæ administrandis Præfectus fuisset, mille florenos ad censum nomine suæ Ecclesiæ cum debitis solennitatibus elocare decreverat; verum priusquam actualem extraditionem memoratæ summæ faceret, sortem unius pecuniæ cum alia apud quendam Judæum permutat, reportato ex tali cambio plurium florenorum lucro. Idem cum alterius cuiusdam piæ fundationis Executorem ageret, tempore, quo ex mandato Regio valor unius floreni extrinsecè duplicatus esset, censum annum quinquaginta florenorum quingentis ex arario piæ fundationis desumptis florenis (qui tunc, uti diximus, conficiebant mille) nomine prædictæ fundationis comparat. Ubi autem post aliquod tempus v. g. annum diminuto iterum valore singuli floreni 60. tantum crucigeris denuò constiterant, in rationibus ad fundationem spectantibus mille florenos pro hoc annuo censu quinquaginta florenorum expensos fuisse annotat, reliquis quingentis florenis sibi, ut fructu quodam suæ industriæ attributis.

Q 1. Num absolutè liceat sibi retinere lucrum, quod ex Cambio cum aliena pecunia factò relatum fuit?

Q 2. Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

Q 3. Num in secundo casu quingentos reliquos florenos retinere sibi Præfectus possit?

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num absolutè liceat retinere lucrum, quod ex cambio cum aliena pecunia factò relatum fuit?

- | | |
|---|---|
| 1. Naturalium atque industrialium fructuum diversitas explicatur. | 4. Potest absolutè contingere, ut ex cambio cum aliena pecunia factò relatum lucrum fiat permittit. |
| 2. Res aliæ ex natura sua fructificant, aliæ non. | 5. Solvitur objectio ex elocatione alieni equi petita. |
| 3. Quædam particulares præsentis casus circumstantiæ. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

- | | |
|--|--|
| 6. Cum varia intentione hæc permutatio fieri potuit. | 11. Nisi actualiter ita tunc constitutus fuerit. |
| 7. Lucrum hoc semel Ecclesiæ voluntariè donatum, denuò repeti non potest. | 12. Nec fecit illud lucrum suum, licet actu dixerit: facerem meum hoc lucrum, si scirem me hoc licitè posse. |
| 8. Aut si ex permutatione nomine Ecclesiæ facta huic acquisitum, & applicatum fuit. | 13. Solvitur objectio. |
| 9. In aliquo casu etiam poterit repeti. | 14. Non debetur Ecclesiæ lucrum nomine illius non obtentum. |
| 10. Non prodest præfetto, quod sibi applicasset lucrum, si scivisset, hoc fieri posse. | 15. Aut ex permutatione indifferenter facta relatum. |

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num in secundo casu quingentos reliquos florenos retinere sibi Praefectus possit?

16. In varijs circumstantijs hujus censûs emptio potuit fieri.
 17. Administrator non potuit residuos 500. florenos ex arario pie cause depromptos sibi retinere.
 18. Cùm augmentum valoris extrinseci ad piam causam spectaverit.
 19. Et executor aut procurator, nomine sui clientis contrahens, lucrum retinere nequeat.
 20. Uti patet in frumento vendito.
 21. Et in casu, quo illi summa tunc fuisset furto subducta.
22. Pia fundatio haberet minus in suis bonis, quam debeat habere.
 23. Cùm præter jus ad censum ipsi competant 500. floreni.
 24. Ad totam summam refundendam obligatur Praefectus jdemola si processerit.
 25. Solvitur objectio ex mutuo frumento petita.
 26. Quid sentiendum, si executor ex proprijs pecunijs hujus nomine comparaverit censum?

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num absolutè liceat, tali ex cambio alienæ pecuniæ reportatum lucrum sibi retinere?

Sciendum, fructus ex aliqua re perceptibiles, esse multiplices: alij dicuntur ipsius rei fructus, quando scilicet ab hac proveniunt, non obstante humana, quæ insuper accesserat, industria; sic fructus arborum, agrorum annumerantur fructibus rei, licet culturâ hominum indigeant: alij autem fructus industriales vocantur, quales sunt quæritus ex negotiatione percepti: ut si rem aliquam vili pretio comparatam postea distraham majore.

Sciendum secundo alias res ex natura sua esse aptas ad fructus pro-

producendos, alias autem ex se ad hunc finem inutiles. Hujus posterioris generis censentur esse pecuniæ, quæ ex se ad fructum afferendum ab omnibus judicantur inhabiles & infæcundæ.

3 Sciendum tertio, quod hæc tota summa jam destinata fuerit, ut ad censum elocaretur, & illo certa annua pensio emeretur: neque plus pecuniæ debuit expendi, vel minor census annuus comparatus fuit ex eo, quod fortis alterius moneta censuario perfoluta fuerit.

4 Dico itaque lucrum, quod ex commutatione unius pecuniæ alienæ in aliam sortem acquisitum fuit, posse absolute fieri ipsius permittantis, ita ut iste tuta conscientia illud pro se retinere possit, in quantum hoc lucrum potest esse merus fructus industrialis; & potuit fieri, ut ex hac commutatione nullum præjudicium Ecclesiæ eveniret. Ita sentiunt omnes illi, qui defendunt fructus merè industriales plenè, atque totaliter ad possessorem tum bonæ tum malæ fidei pertinere, ex quibus sunt D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. Scotus, Paludanus, Navarrus, Covarruvias Molina Disp. 327. & Disp. 719. & 720. Lessius lib. 2. cap. 14. n. 8. Laym. lib. 3. summe sect. 5. tract. 2. cap. 3. n. 3. Rebellus lib. 2. de Just. q. 4. n. 6. Palao de Just. in genere Disp. unica pu. 24. §. 7. n. 7.

Prob. 1. Ratione, si non posset istud lucrum retineri, ratio foret, quia est fructus rei, hoc est pecuniæ alienæ, & ex altera parte qualibet res fructificat Domino suo: atqui hoc est falsum; cum pecunia non sit ex se fructifera, & hoc lucrum sit merè fructus industrialis: ergo &c.

Prob. 2. Molina tom. 2. Disp. 402. n. 2. Reginaldus, Lessius, Rebellus, & Salas apud E. cum Lugone Disp. 17. sect. 3. n. 49. de Just. admittunt, famulum, cui Dominus dedit mille aureos, ut solvat ejus creditori, non curans, qua specie moneta hæc solutio fiat, posse aureos illos commutare pro argento, quo solvat creditori, & retinere sibi lucrum, ex illius moneta commutatione proveniens; & quidem quia hæc commutatio, & ex hac resultans lucrum rationem habet fructuum industrialium: cum pecuniæ ex se sint infæcundæ.

Quod autem nullum præjudicium ex hac commutatione Ecclesiæ accesserit, patet ex sciendo tertio.

Conf. qui in suo granario asservatum ad alios spectans frumentum vendit, quando illius pretium est majus; & postmodum aliud in eadem bonitate, ac quantitate, minore tamen pretio comparat, satisfacit suæ obligationi, si frumentum ejusdem bonitatis & mensuræ expetenti postmodum Domino restituat, sibi lu-
cro

cro, quod ex venditione illius collegerat, retentò, licet hæc restitutio fiat tempore diminuti valoris, si Dominus in illud tempus asservasset. Ita Diana *part. 1. suarum resolutionum moralium tract. 3. de contract. Resolut. 32. citans pro hoc Molinam, Reginaldum, Rebellum, Salas, Lessium, Azor part. 3. lib. 2. cap. 4. q. 11.* Rationem affert, quòd talis servet suum Dominum indemnem, eò quòd tantundem æqualis bonitatis restituat, etiamsi lucrum ex divendito frumento reportatum retineat. Atqui simile quid contingit in nostro casu: ergo.

Conf. 2. Talis Præfectus antequam actu elocaverat prædictam summam, potuisset illam fortem cum alijs pecunijs proprijs permutare animo illam pro se retinendi: Et si post aliquod primùm tempus hoc lucrum ex tali permutacione fecisset, non obligaretur ex justitia ad restitutionem: ergo neque in hoc casu. Quòd enim pecuniæ fuerint adhuc actu Ecclesiæ, nihil facit, eò quòd illæ ex se non fuerint fecundæ, & nullum præjudicium exinde obveniret Ecclesiæ.

Conf. 3. Communiter dicunt, quòd proxenetæ possint sibi retinere lucrum quod faciunt, quando rem vendendam v. g. Ingolstadij in alium, ubi majore pretio distrahitur, locum, aut civitatem suâ industriâ deportarunt, eamque ibi carius vendiderunt:

modò enim Domino rei distractæ restituant summam, quam hæc v. g. Ingolstadij, potuissent comparare, obligationi suæ satisfecisse judicantur ergo &c.

Conf. 4. In hoc casu nulli facimus injuriam; non Ecclesiæ, quia hæc etiam desumpto illo lucro emit eundem censum quem emisisset, si pecuniæ permutacione non intervenisset: non ipsi censuario, cum hic peritam & consuetam, aut lege taxatam summam recipiat, licet in alia sorte monetæ.

Ob. ponamus quempiam apud me ad tempus reliquisse suum equum: me autem interea illum elocare alijs pro certo pretio: hæc elocatio est etiam fructus industrialis, ponitur enim Dominus non elocaturus fuisse suum equum; ergo possem etiam hoc lucrum tanquam fructum industrialis mihi retinere. R. neg paritatem, quòd enim hi fructus sūt naturales, exinde probatur, quia equi ex natura sunt apti, ut elocentur; & consueverunt pro pretio elocari, insuper pro usu rei, & equi aliquid persoluum fuit: ergo fructificavit suo Domino, ex eo autem, quòd ego elocaverim equum, à Domino non elocandum, tantummodo inferatur, me ad hoc lucrum contulisset tantum, quantum confert colens agrum alienum, quem suus Dominus reliquisset sterilem: talis autem culti agri fructus nihilominus

mus ad Dominum hujus spectant. alius talem à restitutione hujus
aliud dicendum de locatione illa-
rum rerum, quas elocare non con-
suevimus, ut sunt torques au-
rei, picturae &c. quod si cum
Diana primo tomo 2. parte tract.
3. miscellaneo: resolutione 58. ex-

lucrum, reponimus: à Diana ex-
cusari talem ex eo, quod Do-
minus equi: quia erat ditissimus,
presumebatur non expetere hoc,
aliàs per se restituendum, sibi lu-
crum.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de hoc speciali casu sit tenendum?

Quando commutatio unius
fortis cum alia instituebatur,
tunc vel actu scivit licitum esse
reportatum ex hac permutatione
lucrum sibi applicare, vel hoc
nescivit? si nescivit tunc potuit
nihilominus nomine proprio, ma-
la tamen fide, commutationem
istam instituire animo lucrum si-
bi applicandi: item potuit con-
tingere, ut nequaquam nomine
proprio, sed ut præfectus tem-
pli, & nomine atque authorita-
te Sancti, in cujus honorem pro-
movendum illa summa erat pos-
tea in censum elocanda, com-
mutationem instituerit animo lu-
crandi illum excessum Sancto, &
in hujus honorem dedicato tem-
plo: ita tamen interpretativè vel
etiam actualiter fuerit affectus,
ut animo sibi lucrandi hæc per-
mutaret, si scivisset, hæc sibi sal-
va conscientia licere atque permis-
sa esse.

Simili modo res potuit conti-
gisse etiam, quando sciverat,
hanc permutationem posse in sua-
rum rerum augmentum institui:
vel enim permutavit unam for-
tem cum altera ut præfectus,
& nomine templi: vel suo nomi-
ne, & ut persona privata. his
premissis.

Dico 1. Si optimè gnarus hu-
jus licentiæ, nomine suo permu-
tationem instituit: lucrum tamen,
animo sibi applicandi obtentum,
postea templo ultronea donatione
remisit, non poterit ab isto illud
denuo repetere, vel occultam
compensationem facere. prob. in
tali casu judicatur sciens, ac vo-
luntariè tale lucrum illi Ecclesiæ
donare; & istud ab hac fuit ac-
ceptatum; ergo nullum amplius
jus in illud donatum lucrum re-
tinet: nec alius novus titulus præ-
tendi potest, ex quo Ecclesia suo
illo

Ccc

illo

isto sibi liberrimè donato lucro spoliari queat.

8 Dico 2. Multò minùs applicatum semel lucrum Ecclesiæ repetere poterit, si optimè gnarus hujus licentiæ, tamen ut Præfectus templi voluit permutare, & reportatum excessum templo proprium facere, & jam templo actu applicavit. Prob. si ut Præfectus templi, ac nomine Ecclesiæ, cujus Præfectum egerat, hanc permutationem fecit, & animo lucrandi excessum Ecclesiæ, tunc ista acquisivit, & non ipse Præfectus jus & dominium in illud lucrum. Sed hoc modo non potest repetere, aut occulta compensatione intuitu illius uti: ergo &c. Prob. Maj. si tutor, curator, aut procurator, nomine alterius scilicet sui pupilli &c. Contractum celebrat, commodum & incommodum exinde relatum redundat in illum, cujus nomine celebratus fuit contractus, nisi constet, quòd aliquod lucrum præcisè in gratiam contrahentis nomine alterius, non autem in istius favorem concessum fuerit: ergo &c. Conf. 1. Talis intentio contrahendi animo lucrandi excessum Ecclesiæ, fuit actualis donatio illius excessus Ecclesiæ facta, & ab hac acceptata: ergo non potest denuò sine omni causa pro libitu revocari. Conf. 2. Ut Præfectus acquireret dominium hujus lucri, debuit habuisse animum hoc lucrum faciendi suum: atqui non ha-

buit: prob. min. habuit animum illud accipiendi nomine Ecclesiæ, & ut proprium templi futurum: ergo &c.

Dico 3. Si Præfectus templi ex conscientia erronea judicans, non licitam sibi esse applicationem lucri ex tali permutatione reportandi; nihilominus mala fide suo tamen nomine, hanc permutationem celebravit, animo retinendi pro se fructum istum: postea verò penitentia commisi suo iudicio peccati, & injustitiæ ductus; aut cujusdam confessarij jussu compulsus, talem excessum templo consignavit, poterit iste à prædicto Præfecto post agnitionem suum errorem repeti, aut, si ceteræ conditiones requisitæ adsint, occultè compensari.

Prob. concl. Præfectus vi contractus, & cambij hujus minuti verum acquisivit dominium in istum excessum & lucrum, non obstante illius mala fide; nec hoc dominium transtulit in Ecclesiam in dato casu: ergo potest illud lucrum repetere. Prob. antecedentis primum membrum: ille contractus non obstante mala fide fuit validus: ergo &c. Antecedens probatur negativè: ex nullo etenim capite ostendi potest contractus hujus nullitas aut irritatio: cum Judæus & Præfectus habuerint, & potuerint hoc cambium minutum instituere, & consequenter transferre ab uno dominium in alterum.

Sed

Sed neque amisit Praefectus dominium in hoc lucrum, quando illud templo ut proprium configuravit: quod prob. in hanc donationem, vel translationem consenserat Praefectus ex quodam errore substantiali: ergo: consequentia constat, nam consensus in contractum ex errore circa substantiam praestitus habetur pro nullo: vi legis 15. ff. de Jurisdictione: leg. 11. § 41 ff. de contrab. Emptione. item leg. 9. Cod. de juris & facti ignorantia.

Prob. itaque antecedens: tunc datur error substantialis in consensu, quando erratur circa motivum illius principale: atqui in hoc casu erratum fuerat circa motivum principale consensūs: Major constat: si enim volo donare Petro mille florenos solum ideo, quia est meus consanguineus; & haec consanguinitas inter nos non datur, tunc utique nulla est donatio ob errorem circa motivum principale: ergo. Probatur itaque minor, motivum principale compellens Praefectum, ut hoc lucrum cederet Ecclesiae ac templo, erat obligatio, qua falso iudicabat se obstrictum ad hoc lucrum concedendum Ecclesiae, eò quòd ipse ad illud non haberet ullum jus: sed circa hoc motivum Praefectus errabat, cum illud lucrum suum fuerit: ergo &c.

10 Dico 4. Si Praefectus ex erronea conscientia iudicans, illicitum esse, applicare sibi lucrum ex tali

cambio factum, nomine Ecclesiae, & animo huic lucrandi pecunias permutavit; & excessum Ecclesiae jam applicavit, non poterit illas postea repetere, licet antea ita interpretativè constitutus fuerit, ut si scivisset, posse à se retinere lucrum, ille suo nomine contrahens, sibi fecisset lucrum: prob. si fuit tantum interpretativè taliter constitutus, tunc nihil omnino cogitavit de excessu sibi absolute applicando, sed tantum de hoc cogitasset, & hoc fecisset, si ista rescivisset: ergo cum conditio non fuerit impleta, absolute non voluit illum fructum sibi applicare; sed soli Ecclesiae, cujus nomine contraxit animo illi lucrandi.

Dico 5. Si nomine quidem Ecclesiae, & ut huic fructum cambij lucraretur, ex erronea conscientia permotus permutaverit; & postea lucrum Ecclesiae dederit; actu tamen ita constitutus fuerit, ut si reipsa foret licitum, excessum sibi lucrari, ac sibi hunc applicare vellet, & non Ecclesiae; tunc verè sibimetipsi lucratus fuerat, atque ex tali erronea conscientia dans lucrum Ecclesiae, denudò istud ab hac repetere poterit. Ratio prima est: quòd habuerit intentiones contrarias, & magis appetiaverit voluntatem applicandi lucrum sibi, quàm Ecclesiae, si posset: ergo, cum reipsa potuerit, voluit sibi applicare.

Ccc 2

Prob.

Prob. 2. Præfectus habuit conditionatam voluntatem applicandi lucrum duntaxat Ecclesiæ, si sibi non posset, insuper habuit etiam voluntatem applicandi sibi, casu quo posset: ergo cum potuerit sibi lucrum applicare, impleta fuit conditio, sub qua voluit non Ecclesiæ, sed sibi lucrum applicare.

12 Dico 6. Non idem tenendum erit: si dixisset Præfectus: si scirem, quod mihi possem applicare, non darem Ecclesiæ. Prob. in hoc casu, conditio, sub qua sibi voluerat applicare lucrum, erit scientia & cognitio hujus licentiæ: ergo cum hæc non adfuerit, impleta non fuerat conditio, sub qua tantum volebat sibi lucrari; dixerat enim, si scirem, hoc mihi fore licitum, tunc facerem, sed non fuit verum, quod sciverit, eò quod ignoraverit: ergo &c.

Dices, ex dictis sequi, quod 13 Præfectus in nullo casu tale lucrum sibi appropriare posset. Prob. semper permutatio ista fit nomine Ecclesiæ: illius enim nomine fit, ad quem spectant pecuniæ, quæ permutantur. R. 1. etiam aliena pecunia emi posse res aliquas, quin nomine illius, ad quem spectant pecuniæ, fiat emptio: ergo etiam permutatio. R. 2. dist. ant. fit nomine Ecclesiæ qua talis, nego. Fit ex pecunijs Ecclesiæ, non tamen animo aquirendi lucrum ipsi Ecclesiæ, sed sibi: conc. ant. & neg. conf.

Præfectus videt, quod posset hanc ipsam sortem pecuniæ, vel aliam in valore non inferiorem, mutuatario dare: item quod mutuatario, & Ecclesiæ nihil decedat, sive mille florenos in hac sorte, sive in alia persolvat; scit insuper, Ecclesiam nequaquam velle, ut hanc determinatam pecuniæ sortem in comparisonem census expendat: ergo potest supponere, quod Ecclesia non agere ferat, si utens hac industria unam sortem permutet cum altera, & lucrum inde obtentum sibi referret.

Nec dicas, licet Ecclesia eodem annuo census percipiat, sive hac sorte, sive alia ematur jus istud: decedit tamen illi aliquid, si careat lucro ex permutatione obtento. R. dist. decedit hoc lucrum, ut tamen ad hoc nullum jus prætereendere possit, eò quod sit fructus industriæ, conc. ut hoc possit prætereendere: negatur: talem fructum industrialem iudicaretur etiam habere, si pecuniæ istas in alium locum, ubi valor extrinsecus hujus fortis est major, detulisset.

Utrum adhuc restat dubium, quid scilicet Præfecto liceat, si lucrum Ecclesiæ necdum attribuerit; ex altera verò parte ita permutaverit pecuniæ, ut nullam reflexionem fecerit ad hoc, utrum nomine Ecclesiæ, vel animo sibi aquirendi lucrum, unam sortem permutet cum alia; consequenter

ab hoc omnino præcindens pro-
fus indifferens ad utrumque actu
extiterit, & nobis videri, quòd
lucrum retinere sibi possit, in ta-
li etenim casu nullum adhuc jus
ad illud Ecclesia obtinuit, cum
non sit res illius, nec fructus ex
re illius resultans: ex opposito
Præfectus in lucrum illud tan-
quam suæ industriæ fructum jus

quoddam retinet: quòd etiamsi
forſitan non intenderit, quia ani-
mo indifferenti permutacionem
instituit; apprehendere tamen il-
lud lucrum ut suum modò potest
ex titulo boni derelicti, quod est
primò occupantis, pro derelicto
autem haberi potest, quia Judæus
permutans deposuit animum illud
ulterius habendi ut suum.

S. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

*An quingentos florenos, de quibus in secundo casu, re-
tinere Præfectus possit?*

16 **E**Mptio hujus annui censûs po-
tuit fieri nomine proprio à
Præfecto, ita ut pro se illum com-
paraverit, pecunijs tamen ex fun-
datione pia mutuò ad hoc accep-
tis: aut, uti etiam factum poni-
tur, celebrari contractus iste po-
tuit, nomine ipsius fundacionis,
ita ut hæc periculum & commo-
dum ex emptione hæc provenien-
tia, subire debuerit.

Insuper potuit à talibus perso-
nis fuisse emptus 50. florenorum
annuus census, de quibus pru-
denter prævidebatur, quòd im-
pares solvendo sint futuræ, conse-
quenter fundatio manifestum pe-
riculum subiverit faciendi jactu-
ram hujus pecuniæ: aut potue-
runt tempore actualis contractûs

cenſuarij ob sua, quæ tunc actu
possidebant, bona, omnem me-
tum, qui tam circa securitatem
capitalis summæ, quàm circa so-
lutionem annui censûs concipi
prudenter aliàs poterat, ademisse.

Tertiò potuit Præfectus opti-
mè prævidisse hoc periculum;
emisse tamen hunc censum nomi-
ne causæ piæ, ut scilicet sibi
metipsi applicando dimidiam sum-
mam, quam pro se retinuisse po-
nitur, exinde res suas meliores
faceret, atque tali ratione dite-
ſceret, item potuit Præfectus so-
lus habuisse adæquatam admini-
strationem causæ piæ, vel cum
illo alij coadministratores: quibus
conscijs atque consentientibus,
vel omnino ignorantibus & ab-

sentibus, memoratus contractus celebratus fuerat, his præmissis.

17 Dico 1. Si Præfectus tempore, quo duplicatus valor monetæ fuerat, quingentis tantummodo florenis ad piam causam spectantibus (qui tamen tunc mille conficiebant) nomine piæ causæ censum annum quinquaginta florenorum comparaverat; non poterat ille postmodum, quando diminuto valore singuli floreni 60. tantummodo crucigeris iterum constabant, ex eadem fundatione pia alios adhuc quingentos florenos accipere, sibi que tanquam fructum industriæ retinere, nec rationibus piæ causæ inscribere potuit quod mille florenis, è quibus singuli constabant 60. crucigeris, illum censum comparaverit.

Prob. universim in illa Provincia tunc temporis florenus habebat ex voluntate Regis valorem duorum florenorum, & in hoc valore ab omnibus subditis accipiebatur & distrahebatur: ergo nulla singularis industria fuit à Præfecto adhibita, quòd in valore corrente pecunias fundationis expenderit. prob. conf. neque singularis industria elucet ex eo, quod corrente pretio: neque ex eo, quod tempore aucti valoris censum comparaverit, ergo &c. prob. ant. quoad primum membrum, omnes debebant corrente valore à Rege constituto pecunias distrahere, nec poterant minue-

re vel augere currentem valorem: ergo ex hoc nulla singularis industria elucet: sed neque ex eo, quòd tempore aucti valoris distraherit, vel enim fundatio pia aliquod commodum & lucrum exinde reportat; eò quòd census certò solvantur, vel prævisum fuerat periculum non solventium censuum? si hoc ultimum, non tantum nullam pro hoc tanquam bene gesto negotio compensationem fuit promeritus, sed maximo vituperiò dignum se reddidit, eò quòd fundationem piam manifesto periculo amittendi bona sua exposuerit, & in istis scienter damnificaverit. Si ad censum certò annuatim solvendum capitale fuit elocatum; præstitit id, quod vi sui officij præstare debuit, cum administrator causæ piæ, promovere hujus commoda modo, quo potest, meliore teneatur, nec facillè aliquis concesserit, executoribus semper aliquam compensationem ultra consuetum solarium deberi, quando in bonum suæ fundationis censum aliquem hujus pecunijs commemerunt.

Dein compensatio debet esse proportionata obsequijs præstitis, quis autem non clarè videt, summam longe majorem esse laborem in gratiam causæ piæ suscepto?

Conf. quando pecuniæ ex loco, ubi minorem valorem habent, transferuntur sine jussu veri Domini in alium, in quo auctus illo.

illorum valor scitur; tunc relatum ex tali deportatione lucrum habetur pro fructu industriali: inposito autem casu pecuniæ alienæ in loco ordinario & valore consueto fuerunt distractæ; ergo nulla apparet singularis industria intervenisse, ut lucrum exinde factum tanquam fructum suæ industriæ retinere posset Præfectus, nomine piæ causæ contrahens.

18 Prob. 2. Majoris illius valoris augmentum verè spectaverat ad piæ causam & fundationem: ergo si ex hoc excessu residuo aliquid lucrum & commodum fuerat relatum, etiam hoc spectabat ad Dominum, scilicet ad causam piæ. ant. constat, quia illa summa ut habens valorem illum majorem extrinsecum erat causæ piæ: ergo.

19 Prob. 3. Qui ut procurator ad alterius res & commoda promovenda constitutus fuit, & sub huius nomine contractum celebrat, lucrum ex hoc relatum non potest sibi retinere, sed illi relinquere, cujus nomine contrahit: at qui iste fuit administrator, & ut talis seu nomine causæ piæ contraxit: ergo lucrum debet relinquere piæ causæ.

Conf. qui subit periculum damni atque incommodi, etiam particeps debet esse lucrorum & commodorum: atqui causa piæ vel maxime subit in hoc censuali contractu incommodo & periculum perdendi totum capitale: er-

go debet etiam percipere lucrum, ex aucto valore extrinsecum sibi proveniens.

Prob. 4. Si causa piæ habuisset frumentum, & hoc administrator iste nomine causæ piæ vendisset, quando illius bonitas extrinsecè ob caritatem tritici multum aucta fuerat, licet postea diminutus denuo frumenti valor fuisset, administrator iste debuisset causæ piæ restituere totum pretium ex distractione frumenti comparatum: neque satisfaceret, si, diminuto denuo valore frumenti extrinsecum, restituere pretium hoc diminutum, & excessum pro se retineret, atque hoc propterea; quia scilicet frumentum habens majorem illum valorem extrinsecum spectabat ad piæ causam: ergo cum etiam major valor florenorum spectaverit ad eandem causam piæ, cum emptus nomine piæ causæ census fuisset, etiam totum lucrum, quod inde reportatum fuerat, ad eandem spectabit.

Prob. 5. Si tempore valoris aucti mille floreni in specie furto subducti piæ causæ fuissent, diminuto autem postea denuo valore extrinsecum restitutio summæ oblata fieret, nequaquam piæ causæ satisfaceret, si mille floreni in specie, vel in valore redderentur, eò quod non mille, sed duo millia fuerint antea ablata, & summa postmodum reddita

noa

non sit æqualis ablata : ergo &c.

22 Conf. si administrator, seu Executor foundationis piæ pro se retinet dimidiam partem pecuniæ ex fundatione piæ post diminutum pecuniæ valorem acceptæ ; tunc pia causa minus habet in suis bonis, quàm quòd deberet habere : ergo non servabitur æqualitas, quam tamen intendit iustitia prob. cùm causa piæ in emptionem huius censûs ob auctum extrinsecum valorem pecuniæ tantùm expenderit quingentos florenos, hinc duntaxat horum quingentorum florenorum defectum retentis cæteris pecunijs, deberet pati, sed hoc non fieret : prob. min. præter hos 500. florenos etiam privaretur alijs quingentis, quos administrator sibi ut fructum suæ industriæ accepit : ponitur enim iste in rationibus annotasse, se 1000. numero florenos in diminuto valore ad emptionem censûs expendisse, cùm tamen reipsa duntaxat quingentos expenderit, cæteros autem 500. sibi reservare decreverit.

Conf. 2. Venditor censûs non remisit vel gratuito donavit Præfecto dimidiam partem mille florenorum in specie, seu quingentos florenos, quos sibi Præfectus attribuere meditatur : ergo nullo ex titulo poterit eandem retinere.

Conf. 3. Si valor pecuniarum tempore comparati censûs fuisset ordinariò & consuetò minor, tunc quod ad mille florenos conficiendos adhuc deerat, debuisset fundatio piæ supplere : ergo etiam excessum ultra 500. florenos extantem lucrabitur.

Dicent Adversarij, si Præfectus tunc temporis censum illum non comparasset, pecuniæ in arca fundationis piæ asservatæ fuissent usque ad illud tempus, quo iterum valor extrinsecus diminutus fuerat ; ergo pia fundatio nullum damnum patitur ex eo, quod Præfectus residuam summam sibi attribuerit, prob. conf. hac ratione non habet minus in suis bonis, quàm quòd deberet habere & haberet, si hæc emptio omiſsa fuisset : defacto enim loco mille florenorum, è quibus quingentos in comparisonem annui censûs 50. florenorum impendit, reliquos autem quingentos Præfectus sibi reservavit, retinet capitale 1000. florenorum elocatum apud alium : omiſsa verò emptione etiam hos mille & non plures possideret, ergo cùm nihil debeat restituti, ubi nullum damnum læsus patitur : etiam piæ causæ nihil erit restituendum.

Et trans. ant. neg. conf. in prob. dist. ant. hac ratione, hoc est, si emptio nulla intercessisset, non haberet minus, quam modo etiam post factam emptionem debeat habere : neg. ant. non habet minus,

aus, quàm quod haberet, si emptio nulla intervenisset: conc. ant. & neg. conf. si omnia emptione census, asservata in arario pecuniæ valor fuisset denuo diminutus, utique non haberet majorem summam: verum, cum tempore valoris aucti, & factæ emptionis plus valuerint expensæ, & ablata pecuniæ, insuper ad has, unâ cum valore suo aucto consideratas, quoddam jus pia fundatio habuerit, si eas modo non amplius habeat, minus, quàm quod deberet habere, possidet, Nam fundatio debet per se adhuc habere illa, quæ ipsi debebantur tempore comparati census, sed tunc præter emptum censum debebantur residui 500. floreni: ergo etiam isti adhuc ei debentur: si itaque hos non amplius possideat, minus habet illo, quod debet habere. min. prob. ad emendum hunc censum sufficiebant quingenti floreni: ergo præter capitale adhuc debebat habere 500.

24 Dico 2. Si Præfectus à depauperatis, & solvendo censui insufficientibus personis scienter hunc censum emerit, tantum ut ipse ratione aucti valoris aliquod lucrum ex retinenda dimidia summa auctæ quoad extrinsecum valorem pecuniæ faceret, ad totam summam mille florenorum fundationi piæ refundendam in defectum censuariorum obligatus erit. Ratio est, quòd scienter

in hoc damnificaverit fundationem piam, exponendo illam manifesto, & probabilissimo periculo amittendi prædictam summam: ergo in defectum censuariorum manebit fundationi piæ obligatus, præsertim si nec consciji, nec consentientibus suis coadministratoribus hæc attentaverat.

Ob. si Præfectus frumentum ad 25 piam fundationem spectans tempore, quo creverat illius valor, vendidisset, & postea aliud ejusdem bonitatis minore tamen pretio comparasset, satisfaceret piæ fundationi, si hoc pro altero redderet, saltem casu, quo pia fundatio, durante majore valore frumentum non distraxisset: ergo idem etiam de hoc casu tenendum erit. R. disparitatem esse, quòd in casu distracti frumenti mutuum cum pia fundatione celebratum fuisset in re fungibili: mutuatarius autem satisfacit, si res fungibiles ejusdem valoris, & mensuræ restituat, casu quo nullum damnum exinde mutuant accesserit, quod non intercessisse in casu ponitur: aliter discurrendum de emptione nomine alterius facta; residua etenim pecunia adhuc sub dominio piæ causæ remanserat. Ergo illam sibi non potuit adjudicare executor seu Præfectus.

Supposuimus hæcenus, pecu 26 nijs ex arario fundationis piæ desumptis hunc censum comparatum

D d d

tura

tum fuisse: restat aliud dubium; fit enim, quod ararium fundationis piæ apud se habuerit executor; potuit tamen ille pecunias fundationis reliquisse intactas, atque interim ex proprijs, fundationi quasi mutuo datis, pecunijs comparasse illum censum: quod si dein sibi ipse solutionem hujus mutui primò fecerit ex pecunijs fundationis, tempore diminuti denud valoris; justè processit, si mille florenos loco quingentorum à se prius expensorum accepit?

Certum inprimis videtur illicitum hoc fuisse, si malitiosè processerat, & loco pecuniæ, quam ex arario apud se habito accipere potuerat, ex suis solutionem fecerat, ut hoc lucrum suo tempore referret; quia præviderat augmentum valoris extrinseci certò iterum diminutum iri. nec omne fundamentum suspicandi talia videtur abesse: cur enim illum censum non emerat nomine proprio, si suis pecunijs interea solutionem nomine fundationis fecerat: nimirum agnoverat optimè magnitudinem periculi, quod hac emptione incurrebatur; cum sciret mutuatarios cum egestate non modica luctantes futuros solvendis censibus impares: ne itaque jacturam suæ pecuniæ faceret, nomine fundationis volebat contrahere.

Secundò cum ille major valor extrinsecus unum circiter annum,

vel dimidium duraverit, cur interea solutionem mutui sibi facere omiserat?

Cæterum supposito, quòd mala fraus, nullus dolus intercesserit, videtur res ista decidenda ex principijs, quæ in materia mutui sunt observanda: hæc cum inveniri possint in casu de usu depositi, ad illum remittere benevolam Lectorem volumus. Interea certum nobis videtur, si administrator hujus causæ piæ, non ipse emptor fuisset; illum nequaquam concessurum fuisse, ut retentis pecunijs fundationis, interea ab alio acciperetur mutuum tempore, quo valor extrinsecus fuerat auctus, cum non improbabili periculo, ne suo tempore mille floreni pro acceptis sine ulla necessitate, aut commodo alienis quingentis florenis mutuantibus sint persolvendi: quin imò quilibet fidelis executor laborasset, ut etiam ex necessitate acceptum tale mutuum expungeretur durante adhuc majore isto valore extrinseci. hic ipse etiam Præfectus, ac executor, si proprias pecunias ad manus non habuisset, nequaquam ab alio accepisset mutuum relinquendo intactas pecunias fundationi proprias: multò minus, si nomine proprio hunc censum pro se comparasset, ita processisset, quando ipse sufficientibus ad eamendos hos census instructus fuisset; neque etiam permisisset, ut suorum bonorum administrator, quem ali-

bi habebat, censum hunc nomine ipsius emeret, mutatis ad finem istum in tali circumstantia pecunijs, cum tamen sufficientes ipse habuerit divitias: negari itaque non poterit, imprudentiam non modicam in tali casu commissam fuisse, si non omnino fraudulenter omnia fuerint acta, ut quid enim simili modo non processerat in istis cum fundatione, cujus curam in se susceperat? cum igitur hæc omnia imprudentiæ, aut

injurie Præfecti adscribenda videantur; hic etiam nullum damnum patitur, licet solummodo tot florenos, quot in emptionem census expenderat, quingentos scilicet, ex pia fundatione accipiat; non apparet, ex quo titulo fundatio pia negligentiam, aut malitiam sui Præfecti, vel executoris cum hujus commodo; suarum autem facultatum jactura & detrimento, luere possit, aut debeat.

CASUS XXVIII.

De Taxatione mercedis molitoribus solvenda.

In civitate aliqua molitores à Magistratu vi, & metu adacti sunt ad jurandum, quod deinceps pro rata molendi velint accipere tantum dimidiam partem ejus mensuræ, quam antea accepere more aliarum civitatum, & regionum.

Q. 1. An, & quomodo Magistratus pro suis subditis certam mercedem taxare possit?

Q. 2. An potuerit Magistratus vi & metu compellere molitores ad hoc juramentum.

Q. 3. An hoc juramentum cum injuria extortum in conscientia obliget?

Q. 4. An valeat, licet metu sit extortum?

Q. 5. An censeri possit à Magistratu relaxatum, quia iste succedentes molitores ad nullum juramentum ulterius obligat?